

Radix tuberosa. Nomen erat mutandum alia enim jam exstat Pr. hispida a nostra diversissima.

Leontodon alpinus.

L. calyce exteriori erecto : squamis lanceolatis , scapo unifloro , foliis lanceolatis obtusis subdentatis glabris.

In summa alpe Schahdagh. Junio. 2.

Simillimus L. livido , sed distinctus flore majore calyce exteriori multo angustiore vix marginato , foliorum dentibus raris brevibus (nec longiusculis extrorsum hamatis. Pappus in semine immaturo brevissime stipitatus.

Leontodon caucasicus.

L. calyce exteriori laxo , squamis ovatis marginatis , foliis uncinato-pinnatifidis laciniis retrorsum subimbricatis.

In promontorio Caucasico ad fluvium Terek superiorem circa Tatartup. Floret primo vere. 2.

Foliorum forma valde variat praecipue quoad magnitudinem lacinae extimae , semper tamen distinctus a L. Taraxaco cui lacinae patentes distantes et calycis foliola exteriora lanceolata.

Hedypnois rhagadioloides. Sp. pl. ed. Willd. III. p. 1617. n. 3.

Circa Derbentum. Majo.

Caulis erectus vel saltem adscendens. Folia basi angustiora cordate amplexicaulia. Pedunculi sub flore valde incrassati.

Hypochaeris canescens.

H. foliis sinuato-dentatis glabris , caule ramoso folioso , pedunculis subsquamosis calycibusque pubescenti-canis.

In ripa fluvii Terek sub fortalio Wladicaucas, Floret Septembri. 24.

Habitus *H. radicatae*, sed notis indicatis abunde distincta. Flores majores. Pappus candidus nec rufescens. Folia caulina pauca radicalibus multo minora. Pedunculi parum squamosi.

Serratula depressa. *Mem. de la Soc. de Gorenki (ined.) cum icone.*

S. subacaulis foliis bipinnatifidis canis subtus tomentosis, calycibus subglobosis squamis laxis lanceolatis obtusiusculis villosis.

In summis montibus Caucasi orientalis inter fontes torrentium Chodial et Kussartschai. Junio. 24.

Summa affinitas cum *S. humili* et *S. molli*, praesertim cum priore a quo tamen differre videtur foliis bipinnatifidis infra tomento vago nec niveo tectis, caule vix ullo, pappo setoso scabro admodum fragili, receptaculi paleis subulatis simplicibus. Flores albi vel carnei, *S. molli* (*Card. molli* L.) majores antheris coeruleis.

Serratula elegans. *Mem. de la Soc. de Gorenki (ined.) cum icone*

S. foliis linearibus margine revolutis imis pinnatifidis, caule basi ramoso ramis simplicissimis unifloris calycis squamis subspinosi, extimis mucrone patulo.

Occurrit rarius in glareosis Caucasi orientalis ubi amnis Gogtschaje promontorio medio exit, sub pago Dshanaqbulaq. Junio. 24.

Habitus quodammodo *S. stoechadifoliae*. Radix multiceps hybernaculis densissimo tomento tectis. Flores magnitudine *S. coronatae rosei*. Calyx pubescenti-canus squamis intimis